FABRICIUS

450. DISCURSUS MEDICUS *de termino vitae humanae*: quem, in Antiquissimo Romanorum Archigymnasio, inter Familiares instituit et, ad instantiam illorum, pubblici juris fecit *Septimus Andreas Fabricius* N. M. S. - Romae, 1666 ;in-4, br., (12 p. n. n.). - *Raro*.

L. 12.--

61420/P

FABRICIUS, S.A.
C

IX

£35.00

DISCURSUS MEDICUS,

DE

TERMINO VITÆ HUMANÆ:

Quem,

In Antiquiſſimo Romanorum Archigymnaſio,

inter Familiares inſtituit,

&,

ad Inſtantiam illorum,

publici juris fecit

SEPTIMUS ANDREAS FABRICIUS,

N. M. S.



ROMÆ, cIɔ Iɔc LXVI.

Superiorum Permiſſu

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

327829

ILLUSTRI AC GENEROSO DOMINO,

DN. SEPTIMO,

Libero Baroni à Rägkhnitz/ Domino in Pernegg, S. Ulrich, Ober Marburg & Ober Kimberg, &c.

Domino & Suſceptori meo Gratioſo.

ILLUSTRIS AC GENEROSE DOMINE BARO, DOMINE ET SUSCEPTOR GRATIOSE,

Vereor ſanè, ne, dum Illuſtri Generoſitati Tuæ hunc Impolitum Diſcurſum meum offero, idem mihi uſu veniat, quod de Philopœmone, Achæorum Prætore, referunt. Cum enim is, ab amico aliquandò ad prandium invitatus, ſqualidâ veſte hoſpes comparuiſſet, à miniſtris pro conſervo habitus, deſcendere ac ligna findere juſſus eſt. Vel quod, ſuperiori ſeculo, Magno cuidam Viro, Theologicè & Philoſophicè, Græcè atq́; Latinè eruditiſſimo, contigit: qui, cum à quodam Imperii Principe, per literas, clementiſſimè accerſitus eſſet, at verò popula-

pula-

putariter amictus portis appropinquâſſet, à janitoribus intromitti noluit.

Verum enimverò ut meliora ſperem & animum quaſi in pedes delapſum recipiam, laudatiſſima Illuſtris Tuæ Generoſitatis Comitas facit, quam omnes, qui virtutibus operantur, æſtimant.

Age igitur, ILLUSTRIS AC GENEROSE DOMINE BARO, DOMINE ET SUSCEPTOR GRATIOSE, *& hoc, quicquid eſt Chartarum, in debitæ Gratitudinis ſignum atq; ſtudiorum meorum commendationem, ſereno vultu ac benignâ manu, accipe. Sic Te DEus perpetuò ſervet incolumem & vitam in multas annorum myriadas protrahat!*

Dabam ROMÆ, quæ jure Caput Orbis terrarum dicitur, ipſis Calendis Februariis, Anni à Nativitate Chriſti cIↄ Iↄc LXVI.

Illuſtr. T. Generoſit.

Subjectiſſ. Cliens

SEPTIMUS ANDREAS FABRICIUS,
N. M. S.

DISCUR-

DISCURSUS MEDICUS,

DE

TERMINO VITÆ HUMANÆ.

REctè ac velut ex tripode à Virgilio (lib. 10. Æneid. quinar. 465.) dictum: *Stat ſua cuiq; dies, breve & irreparabile tempus omnibus eſt idem.* Et Seneca ad Marciam (Epiſtol. 102.) ſcribit: Quod *fixus cuiq; terminus ſit & maneat ſemper poſitus, nec alterius diligentiâ vel gratiâ promoveatur.*

Verùm hinc perperàm nonnulli argumentantur, Medicinam propterea nullam eſſe, vel certè nihil virium aut poteſtatis divinæ ei conceſſum, ut hominem ab infirmitatibus ac præmaturâ morte tutetur.

Sic enim Cicero (libr. de Fato) loquitur: Si fatum eſt ex hoc modo convaleſcere, ſive Medicum adhibueris, ſive non, convaleſces. Si fatum non eſt convaleſcere, ſive adhibueris Medicum, ſive non, non convaleſces. Medicum ergò adhibere quid attinet?

Cui eleganter (Tom. 3. contr. Celſ.) ſeſe opponit Origenes, his verbis: Si fato decretum eſt, ut liberos procrees, ſive uxorem ducas, ſive non ducas, liberos procreabis. Sed ſi in fato eſt, ut liberos non ſuſcipias, ſive uxorem ducas, ſive non ducas, non procreabis liberos. Si igitur fatale tibi eſt, ut procrees vel non procrees liberos, fruſtrà cum uxore dabis operam liberis.

Concludit verò tandem: Quemadmodum, quia non posſunt, ſine congreſſu cum uxore, procreari liberi, non fruſtrà ducitur uxor: Ita, quia ex morbo relevari æger, ſine ope Medicinæ, non poteſt, neceſſe eſt Medicum adhibere.

Fato quippè adſcripſerunt Stoici, quod ſoli DEO acceptum ferendum erat.

Si verò, per Fatum, divinam providentiam, aut æternum *al-*

tiſſimi Ordinem & Diſpoſitionem, *itemq; Sententiam DEI*, *Naturam ac Cæleſtis Arbitri, variè poteſtate ſuâ utentis, nomina, aut etiam Fatum Peripateticorum intelligi velint, res benè habet.*

Hoc loco non ineptè quæritur: *An Terminus Vitæ humanæ Arte Medicâ extendi & variè abrumpi poſſit?*

Quam equidem quæſtionem, tanquam evolutione digniſſimam, impræſentiarum breviter proponere ac paucis affirmare conſtitui: *Quod Vitæ humanæ Terminus, induſtriâ Artis Medicæ & rectè vivendi legibus, omninò extendi; contrà verò pravâ victus ratione, intemperantiâ & neglectu Curationis ægritudinum, itemq; à Caſibus fortuitis & aliis de cauſis, abrumpi poſſit.*

Quod *Rationibus* pariter atq; *Auctoritatibus* demonſtrare conabor.

Prima Ratio ita habet:

Quicquid Calorem nativum conſervat & ne pabulum ſuum juſto celeriùs abſumat, præcavet; inſuper humidum congenitum (quantum poſſibile) auget: Illud terminum humanæ vitæ extendere poteſt.

Medicina hoc præſtat.

Ergò Medicina humanæ vitæ terminum extendere poteſt.

Major probatur: Quia nulla res naturaliter perit, quantiſper calor ejus nativus ſupereſt, & tantiſper infixus manet, quamdiu ei conveniens alimentum, quod Humidum Congenitum vocatur, ſuppetit. *Calor* enim *nativus*, ut Th. Eraſtus (libr. 1. Epiſtol.1.) refert, *inſtar ignis eſt aut flammæ in Ellychnio accenſæ*, quæ perpetuo indiget alimento, generaturq; & occidit continuè, ſicut in flumine nova aqua ſuccedit præterlapſæ. *Humidum* verò *primigenium alimentum caloris nativi eſt & olei in lucernis rationem habet.* Hinc quantò magis vel minùs hoc humidum calori nativo, cujus pabulum eſt, reſpondet: tantò rei cujusq; vita vel duratio longior eſt, aut brevior.

Minorem confirmat id, quod Medicina generoſis Alimentis & Pharmacis hoc utrumq;, nempè Calidum innatum ac Humidum

dum radicale, quadantenùs reſtaurare poſſit & efficere, *ut nec calor præternaturam augeatur, nec humidum, propter adventitiam cauſam imminuatur.*

Quæ verò ſpeciatim ſint generoſa illa Alimenta & Auxilia, hujus loci non eſt, ut operosè conquiram: cum ſparſim in Medicorum ſcriptis, præcipuè verò apud Claudium Deodatum, in Pantheo Hygiaſtico Hippocratico-Hermetico, inveniantur.

Secunda Ratio hæc eſt:

Quicquid cauſas Morborum ac Mortis præcavet, avertit & propulſat, illud vitæ humanæ terminum extendere poteſt.

Medicina hoc præſtat.

Ergò Medicina vitæ humanæ terminum extendere poteſt.

Major probatur: Quia (juxta vulgatum Philoſophorum axioma) remotis cauſis Morborum & Mortis, ipſi quoq; Morbi, cum Morte, removentnr, & ſic humana vita extenditur.

Pro *Minori roborandâ dico:* Quod *duplices* ſint *Morborum & Mortis cauſæ, Interiores & Exteriores.*

Ex Interioribus tres recenſentur, quarum *Prima* vocatur naturalis *Siccitas & Frigiditas*, quæ ab humoris radicalis depaſtione & caloris innati exſolutione oritur. *Pro Secundâ* habetur *indeſinens Effluvium triplicis ſubſtantiæ, ex quâ conſtamus:* Partium ſcilicet, Humorum & Spirituum. *Tertiam neceſſarius excrementorum proventus* arguit.

Has omnes cauſas præcavet, avertit & propulſat Medicina, *quando* 1. Temperamentum *frigidum & ſiccum in calidum & humidum convertit: Quandò* 2. jacturam triplicis ſubſtantiæ, *partium cibo, humorum potu & ſpirituum Odoribus & Spiritibus* homogeneis reſarcit: & *quandò* 3. *abundantiam excrementorum Cibis euchymis & eupeptis prohibet*, vel etiam eccoproticis & catharticis exturbat, aliasq; ſuperfluitates frictionibus, exercitiis & inediis abſumit.

Externæ cauſæ, vitam noſtram ante tempus jugulantes, ſunt vel *Evitabiles*, vel *Inevitabiles*.

Inter Evitabiles numerantur Vulnus, Caſus, Jctus, Morſus, Ferarum Occurſus & infinita alia.

Inevitabiles & ad vitam neceſſariæ ſunt ſex res non naturales à Medicis dictæ, videlicet: Aër, Cibus ac Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigiliæ, Excreta & Retenta, atq; Animi Pathemata: quæ vulgò in *Aſſumenda, Admovenda, Facienda & Educenda* diſtribuuntur.

Tertiò ſic argumentor:

Quicunq; Medicorum operâ utuntur, propterea hoc faciunt, ut Morbus (quantum quidem fieri poteſt) depellatur, Vitaq; conſervetur & ſic terminus ejus extendatur.

Omnes ægri, mandato DEI obſecundantes, Medicorum operâ utuntur.

Ergò omnes ægri, mandato DEI obſecundantes, hoc ideò faciunt, ut Morbus (quantum poſſibile) depellatur, vita conſervetur & ſic terminus ejus extendatur.

Major ex propriâ ægrotantium Confeſſione liquet.

Minorem Eccleſiaſticus (cap. 30. v. 12.) comprobat, inquiens: Non diſcedat à te Medicus, ſed da ei locum; quia opera ejus ſunt neceſſaria, & altiſſimus Medicinam de terrâ creavit, eod. cap. v. 4.

Et conſtat ex Geneſ. cap. 50. v. 2. 3. libr. 2. Chronic. cap. 16. v. 12. Eccleſiaſtic. cap. 38. v. 12. 15. Marc. cap. 5. v. 26. & aliis S. Scripturæ locis, quod ſemper, in populo DEI, Medici fuerint, & quidem neceſſariò.

Cum enim præfixus à DEO terminus vitæ & hora Mortis nobis ſint incognita, vitam ſervare oportet, quousq; licuerit.

Quia etiam neſcis, quàm diu te velit DEUS in lecto cubare; licitè morbo reſiſtere potes, & recuperandæ ſanitati, quicquid eſt legitimorum remediorum, adhibere.

Ubi verò tentâris omnia & nihil profeceris, perſuaſiſſimum habe, divinæ voluntatis eſſe, ut vel diuturniori ægritudine urgearis, vel vitæ finem facias & hinc omnem Pharmacis efficaciam

caciam ſubtrahere ; ceu veriſſimè pronunciat Hieremias Drexelius, in Heliotrop. Cap. 1.

Quarta ratio. Si cui crus aut brachium fractum fuerit; aut, ſi quis vulnus paulò altius acceperit ; vel ſi quem grandes Tumores, Ulcera Cacoëthica & difficiles Luxationes offenderint: *Cur*, quæſo, protinus Chirurgum accerſere jubet? *Scilicet*, ut ab eo ſanetur, atq; ſic vitam in longius protrahat.

Si igitur in Tumoribus, Ulceribus, Vulneribus, Fracturis & Luxationibus Chirurgorum operam implorant ægri, *Cur non*, in aliis quoq; Morbis, ad Medicos confugiunt, ut reſtituantur? Siquidem DEUS Medicus eſt Phyſicus æquè ac Vulnerarius & miniſterium Medicorum maximoperè requirit: cum vitam noſtram nunc non miraculosè regat, ſed per media & inſtrumenta agat, quæ ab ipſo ordinata ſunt & nec divinam ejus potentiam tollunt, nec decretis obſtant.

Quare faciendum hic nobis eſt, quod *Divus Apoſtolus Paulus* (Actor. cap. 27. v. 23. 24. 31. 32. 34.) egiſſe legitur. Qui, etſi per Angelum à DEO certior eſſet factus, neminem illorum periturum, quos ſecum in navi veheret : attamen, ingruente tempeſtate, retinere illos juſſit, operamq; dedit, ut navis tutiùs ad littus deferretur.

Poſtrema Concluſio eſt: Si graves errores, in Morbis commisſi, ægris mortem accelerant : ſequitur, ex lege contrariorum, quod (niſi præfixus à DEO terminus obſtet) recta Curatio Mortis ſit retardatio, adeoq; Vitæ prorogatio.

Auctoritates quod attinet, ſequentes potiſſimùm afferri poſſunt.

Prima eſt Senecæ, qui contra me ab initio fuit. Is (Epiſtol. 56.) ait: Noſtrâ quoq; providentiâ, aliquantò longiorem propagari huic corpuſculo moram poſſe, ſi voluntates, quibus maxima pars hominum perit, regere & coërcere potuerimus. Quod *Democritum Abderiten* obſervaſſe credendum eſt, qui fati diem in annum centeſimum & nonum diſtulit, ut refert Melch. Sebizius, lib. de Facult. Alim. fol. mihi 501. Et *Arnulphus*, *Theodori Filius*,

Comes Hollandiæ, de quo legitur in Hiſtoriâ Danicâ, quod Dynaſtiæ ſuæ annos 88. præfuerit & vitam ad 125. produxerit.

Secunda Lactantii, dicentis: Data eſt univerſis animalibus ratio; brutis tantùm ad Vitam tuendam, hominibus verò ad propagandam.

Tertia Hippocratis, libr. de Fractur: ubi Medicinam homines à morte liberare, adeoq; vitam protelare profatur.

Quartam Galenus, libr. de Method. Med. cap. 10. ſuppeditat, quando de hoc ipſo prolixiùs gloriatur.

Ultima ex *Raymundi Lullii* libro de Secretis conſtat, cum à Medicinâ petere jubet remedium, quô corpus noſtrum à putredine præſervetur & infirmum curetur, donec venerit poſtremus ille dies, qui à DEO præſtitutus eſt.

Cæterùm, quod vitæ humanæ terminus etiam ſæpiſſimè *abrumpatur*, modò citatus Lullius dicto loco teſtatur, quando multos, intra terminum, mortem accelerare ait.

Quò cumprimis illi pertinent, qui (ut alios prætereamus) inordinatâ victûs ratione utuntur & intemperanter vivunt.

Unde ſic colligo:

Quicquid mutuam Caloris nativi & Humidi primigenii actionem & paſſionem diſturbat ac de opere ſuo dejicit, Vitæ humanæ terminum abrumpit.

Prava victûs ratio, intemperantia, neglectus Curationis ægritudinum, violentæ manus injectio, caſus fortuitus, infeſtus animalium morſus, truculentus ferarum occurſus & ſimilia, mutuam Caloris nativi & Humidi primigenii actionem diſturbant ac de Opere ſuo dejiciunt.

Ergò prava victûs ratio, intemperantia, neglectus curationis ægritudinum, &c. *Vitæ terminum abrumpunt.*

Major extra omnem dubitationis aleam poſita eſt.

Minorem quotidiana confirmat experientia atq; ex ſuperiùs dictis clarè perſpicitur.

Sic *Zeno Imperator*, in ordine 56, ebrietate nimiâ exanimatus

cum

cum cecidiſſet, Ariadnæ Uxoris juſſu, in ſepulchrum vivus illatus eſt, ut hiſtoriæ teſtantur:

Sic multæ *militum turmæ*, in proximo bello tricennali, ex neglectu curationis ægritudinum, fatis conceſſerunt.

Sic *Anacreon*, ex vini vinacei deglutitione:

Fabius, ob pili, cum lacte, ſorbitionem:

Chryſippus & Philemon, præ nimio riſu: ſubitò extincti fuerunt.

Sic deniq; *Aſtulphus*, Longobardorum Rex & nuper victorioſus ille *Comes Serinus*, in venatione, ab apris commorſi, ocyus vitam cum morte commutârunt: ut videre eſt ap. Claud. Deod. Panth. Hygiaſt. libr. I. cap. 5. fol. 43. & in Næniis Melpomenes Schillingianæ.

Hîc modicum ſubſiſtentes perpendamus, quid *Theologis*, contrarium à nobis ſentientibus, reſpondendum?

Afferunt illi *primùm*, ex Hiobi cap. 14. v. 5.: Quod DEUS hominibus terminos conſtituerit, qui præteriri non poſſint. *Deinde*, ex Pſalte: Quod DEUS menſurabiles poſuerit dies noſtros.

Unde concludunt: Si termini vitæ humanæ ita ſunt à DEO nobis præfixi, ut præteriri nequeant; ſequitur, eos nequaquam produci aut extendi poſſe.

Sed *reſpondeo per Diſtinctionem*, affirmans, Terminum vitæ humanæ *dupliciter* conſiderari: *Abſolutè ſeu Naturaliter*, & *Accidentaliter ſeu Caſualiter*.

Abſolutè ſeu Naturaliter conſideratus humanæ vitæ terminus ille eſt, ad quem nos (liceat mihi verba Caſparis à Reies, ex Campo Elyſio deſumpta, mea facere) Humidi Radicalis perducit duratio, quæ terminum vitæ, ſui conſumptione, indifferenter menſurat, prout nempè à primordiis generationis unusquisq; ſortitus eſt & prout Domino placuit terminum abſolutum præfinire.

Hic terminus Fati nomine apud Peripateticos venit & dicitur ideò Naturalis, quia ad Humidi conſumptionem ſequitur Caloris nativi, pabulo ſuo jam deſtituti, extinctio, nec ex viribus Naturæ ultrò progredi datur; & talem vitæ terminum ſic præfixit DEUS, ut ne punctum quidem ulteriùs tranſcendi poſſit.

Acciden-

Accidentalis Vitæ terminus, quem & Conditionalem, Caſualem, Abbreviatum & Decurtatum vocant, quoad nos ita dicitur & contingit, quandò accidentaliter, temporiùs aut ſeriùs, mors advenit illis, qui ad humidi radicalis legitimam conſumptionem nondum pervenerunt.

Hic terminus Accidentalis, per cauſas ſecundas, juxta ſtatutum Ordinem, ad finem ſuum tendit, & per iſtarum operationem eò, quò tendit, pervenit.

Undè facilè *reſponderi* poteſt Theologis, quod ſcilicet *non* loquar *de abſoluto* illo termino, quem DEUS naturaliter in Humidi Primigenii & Caloris nativi duratione conſtituit: *ſed de altero* illo, qui *Accidentalis* dicitur & in remotione cauſarum, *Calido nativo & Humido primigenio inſidiantium*, conſiſtit.

Morbos enim curari, ſymptomata averti, lapſus, ruinam, morſus & ſimilia præcaveri, illaq; duo vitæ ſuſtentacula, maximè cohærentia, quadantenùs ſuffulciri poſſe, in aprico poſitum eſſe judico.

Plura qui volent, adeant *Joh. Langium*, libr. 1. Epiſtol. 79. fol. 475: *Thom. Eraſtum*, Epiſtol. Med. & Philoſ. lib. 1. Epiſtol. 1. fol. 1, 2: *Petr. Apponenſ. ſeu Conciliat. enucleat.* à Gregor. Horſt. editum, parte poſt Quæſtion. 113. fol. 91: *Joh. Hartmannum*, Diſput. Chymico-Medic. 8. fol. 97: *Claud. Deodatum*, Panth. Hygiaſtic. Hippocratico-Hermetic., libr. 1. cap. 5. fol. 42. & ſeqq.: *Caſpar. à Reies*, Elyſ. Quæſtion. Illuſtr. Camp., Quæſt. 18. fol. 114. & ſeqq.

Atq; hæc breviſſimè, pro temporis ac inſtituti mei ratione, *de Termini Vitæ Humanæ Extenſione & Abruptione*, hoc loco, dixiſſe ſufficiat.

Ave Pater, Rex, Creator:
Ave Fili, Lux, Servator:
Ave Pax & Charitas!
Ave Simplex, ave Trine:
Ave regnans ſine fine:
Una ſimplex Trinitas!

F I N I S.

167
+ 11/0/-